

natorum. Atque id adeo verum est, ut licet deinde Infidelis, aut Judæus ille baptizetur, non convalescat cognatio, utpotè quæ ab initio non fuit. Non est sanè dubitandum, præsertim post Tridentinam sanctionem, qua intra augustiores fines coërta est spiritualis cognatio, eam cognationem non contrahi ab ignorantibus nimirum ab eo, qui certam personam se suscipere putat, dum aliam suscipit; qui enim error impediret, ne adoptio facta crederetur, neve propterea civilis cognatio contracta, impedit quoque, ne contrahatur cognatio spiritalis: & quamquam sub Nomine Deus dedit Papa dicitur in can. 1. caus. 30. quæst. 1., adhuc contractam cognationem censi, canon tamen ille utpotè apocryphus nullius momenti est, neque dubitavit Alexander III. contra eundem manifestè scribere, cap. 2. de cognat. spirit. Denique observatu dignum est, hodie præsertim, in cognatione spiritali nullam induci adfinitatem; neque ex. gr. uxorem susceptoris dici posse cognationis quandam speciem habere cum baptizato; neque enim, ut scribebat Paschalis II. in can. 5. caus. 30. quæst. 4., cognationi carnis cognatio spiritus comparatur; neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransiunt. Sanè olim id in disputationem veniebat ex eo, quòd vulgò proferebantur Nicolaus I., & Innocentius I., item Chalcedonense Concilium ea conjugia improbasse, can. 1. 2. & 3. caus. 30. quæst. 4., è contrario proferebantur Paschalis II., & Concilium Triburiense ea conjugia admisisse, can. 4. & 5. ead. causa, & quæstione. Si Gratianus agnovisset, laudatos canones 1. 2. & 3. apocryphos esse, faciliè adhæsisset Concilii Triburiensis, & Paschalis II. decreto. Sed quoniam putabat imprudens collector, se eorum omnium canonum auctoritate teneri, post canonem 5. laudatæ quæstionis, facta distinctione conatus est, ut eos invicem componendo conciliaret, tradens, distinguendum esse inter speciem, qua quis uxorem cognovisset post con-

tractam spirituale cognationem, & speciem, qua quis tantum ante contractam eam cognationem cognovisset, ad priorem speciem referens canones 1. 2. & 3., ad posteriorem canones 4. & 5. Nil mirum propterea esse debet, si Clemens III. doctrinam Gratiani faciliè secutus, cognationis spiritalis jura ad adfinitatem etiam extenderit in cap. 4. de cognat. spirit. Verùm hodie hæc supervacanea sunt post Tridentinum decretum, quo extra casus in eodem decreto expressos cognatio spiritalis minimè extenditur.

Nondum recedendum puto ab hac generali cognationum materie, quousque nonnulla subjecero ad investigandum, an quæcumque seu naturalia, seu divina, seu humana præcepta, quibus inter cognatos, cujuscumque tandem generis cognatio fuerit, matrimonia improbata sunt, ita conjugii obstant, ut conjuga contra ea contracta pœnitùs irrita habeantur. Sanè quæ diximus naturali jure vetita inter consanguineos, vel adfines, irrita pœnitùs erunt, propterea quod honestati repugnant, juxta regulas generales in capite 1. præjactas. Id ipsum præterea dicemus, quotiescumque agatur de præceptis divinis, quæ aut explicaverunt præcepta naturalia, aut paulò latius extenderunt. In cæteris autem necessitudinum impedimentis possessivo jure constitutis, cur non id ipsum dicendum sit, quando qui leges easdem positivas ediderunt, exemplo naturalis juris usi sunt, id est naturalis cognationum, & necessitudinum jura ad alias necessitudines extendentes, voluerunt, quòd in illis, id etiam in istis servari? Imò etiam liquet, leges easdem positivas fuisse munitas expresso irritante decreto, aut saltem ea formula, quæ decreto irritanti æquipolleret. Ut à consanguinitate exordiar, quam Theodosius Magnus ad filios fratrum & sororum primus extendit, liquet, eam fuisse Imperatoris mentem; etenim quando ejus filii in l. 19. cod. de nuptiis voluerunt Theodosianam legem abrogare, pro-

fessi sunt, in posterum ea matrimonia legitima futura, & legitimos filios exinde genitos, quod dici non potuisset, nisi Theodosiana lex irritum omninò conjugium dixisset. Quando recentioribus temporibus ad ultiores generationes extensa consanguinitas fuit, clausula adjecta fuit hujusmodi: *conjugium separetur*. Ita in Concilio Moguntino can. 54., in Concilio Vormaciensi can. 78., & in can. 21. caus. 35. quæst. 2., quæ sanè verba in conjugium, non in conjuges directa, vim habent decreti irritantis. Quamobrem jure cum Romanis Correctoribus expungemus à can. 16. caus. 35. quæst. 2., cujuscumque sit auctoris, postrema illa verba non in conjugium, sed in conjuges directa, quòd si fecerint, separetur; cum ea in integris canonis ejusdem exemplaribus desiderentur. Non erat autem opus in Lateranensi Concilio cap. 8. de consanguin. & adfin., novum decretum irritans adjicere, quia de quarto consanguinitatis gradu, quem retinendum mandarunt Lateranenses Antistites, jam firma erat vetus disciplina. De adfinitate id ipsum dicendum est; statim ea enim, ut diximus, tradi cœpit, æqualiter inter consanguineos, atque inter

adfines, matrimonia improbari, can. 13. caus. 35. quæst. 2., Concilio Moguntino can. 30., Concilio Cabilonensi can. 29., & Concilio Vormaciensi cap. 78. idem erat, ac si dictum esset, conjugia inter adfines contracta pœnitùs irrita fore. Exemplo adfinitatis inducitur est justitia quædam, ut vocant, publica honestatis, l. 12. & 14. ff. de ritu nupt. Cur non, si inter adfines irritæ erant nuptiæ, irritæ quoque essent, ubi justitia publicæ honestatis intercederet? Adde, in l. 8. cod. de incest. nupt. decretum irritans expressè adparere, quemadmodum & in cap. un. de sponsal. in 6. In cognatione civili usurpata verba filiorum, fratrum, socrus, & nurus, nonne indicant animum Legumlatorum irritandi conjugii? l. 14. 17. ff. de ritu nuptiar., l. 23. & 44. ff. de adoption., can. 6. caus. 30. quæst. 3., imò & decreto irritante munitas fuisse leges veteres, auctor est Nicolaus in cap. un. de cognat. leg. Denique spiritualis cognatio ad exemplum civilis inducta easdem habuit vires; imò & Justinianus decretum irritans legi suæ adposuisse videtur, dum dixit, susceptorem ad baptizati nuptias venire omnimòdò prohibendum, l. 26. cod. de nupt.

CAPUT V.

De iis, qui aliquo jam voluntario vinculo detinentur, ne conjugium ineant.

Sunt & alii complures, qui legibus à contrahendo conjugio arcentur, quales sunt ii, qui jam fidem suam aliis obtinuerunt, vel quia jam alteri conjugio juncti sunt, vel quia perpetuo, eoque solemniter continentie voto se Deo dedicaverunt. Quod in primis ad eos attinet, qui conjugali jam vinculo adstringuntur, non dubito, quin divino jure, & quidem eo ipso, quod initio Creator Deus homini dedit, id definitum fuerit, quoniam ita in sacris litteris aper-

tissimè demonstratur, Geneseos cap. 1. & 2., Matthæi. cap. 19. Si in hoc argumento ea congerere vellem rationum momenta, quæ demonstrarent, unius tantum cum una matrimonium esse debere, multa planè dici possent, ad ostendendum, in multiplici conjugum numero non rectè observari posse naturales matrimonii fines; inter cæteros autem honestam liberorum educationem, & firmam inter virum & uxorem animorum conjunctionem. Distinguumus speciem à

specie. Non agitur hoc in loco de eo casu, quo quis uxore dimissa, vel marito relicto, novum conjugium contrahat; opportunius enim de hac re sermo inferius instituetur, nimirum in postrema dissertatione de modis, quibus semel contracta conjugia dissolvuntur. Tantum huc pertinet investigare, an retento primo contracto conjugio, alteri contrahendo locus esse possit, quod vulgò simultaneam bigamiam, vel polygamiam appellant. Qua in re observo, unam uxorem pluribus maritis conjungi universas propemodum gentes improbavisse; in hoc enim multiplicis conjugii genere præter alia absurda, quæ agnoscuntur in specie viri plures uxores ducentis, duo alia emergunt singularia, quorum primum est, quod incerta proles ex eo multiplici conjugio nasceretur; incerta autem proles respectu patris honestam impedit educationem liberorum, cum nemo facile educatur ad habendam curam liberorum, quos suos esse prorsus ignorat; alterum est, quod in familia vir princeps habetur, & veluti caput; è converso mulier est subdita viro; repugnat autem, uxorem duabus, pluribusve personis aequaliter subjectam dici eodem genere potestatis; quemadmodum repugnat, duo esse in eadem familia solida capita, seu duos principes, unde aut confusio, aut repugnantia imperii proficisceretur. Quod si de marito agatur, atque inquiretur, an plures ipsi repugnet ducere uxores, observo, ex eo multiplici conjugio alia absurda evenire. Quamquam enim vir ex pluribus uxoribus certos de se liberos ipse suscipiat, ipsæ quoque uxores certos, unaquæque de se, liberos susceptos intueri valeant, atque exhibere, tamen & vir, & liberi, & uxores variis exinde obnoxii redduntur familiaribus dissidiis, contra bonum conjugii ab ipsis naturæ legibus præstitutum. Quis statim non videat divisam viri benevolentiam, divisos invicem uxorum animos, imò & mutuo repugnantes, divisos propterea liberos inter se,

dum unusquisque maternam facile sequitur affectionem; atque inde litibus, & jurgiis, odiisque ad poenitentiam usque protractis, latissimam aperiri viam in eo ipso, in quo natura voluit amorem, benevolentiam, atque arctissimam necessitudinem conciliari? Id adeo verum esse quæ omnes agnoverunt, ut quoties aliquæ nimium in hac parte maritali licentiæ indulgere se posse crediderunt, non aliter indulserint, quam ea conditione, ut unica diceretur, vera & legitima uxor, quasi materfamilias, & individuum habens cum marito dignitatem, atque præstantiam, cæteræ verò mulieres inferiore gradu constituerentur, dictæ ut plurimum generali nomine concubinae, & quasi uxoris vicariæ, proinde uxori eidem subjectæ, & filios non tam sibi, quam legitimæ uxori fictione quadam parientes. Porro ista fictio minuere quidem potuit asperitatem familiarium dissidiorum, quæ paulisper elevare videbatur variis constitutus ordo uxorum & liberorum, nunquam tamen prorsus avertere valuit, uti facile liquet consideranti; aut enim evenit, ut in concubinam, quamquam inferiore gradu constitutam, major sit benevolentia mariti, quam in uxorem; aut evenit, ut etiam major sit benevolentia patris in filios concubinæ, quamquam inferiore loco constitutos, quam in filios uxoris, quando jus, aut juris fictio inducere quidem poterat, ut in hominum opinione uxor & filii uxoris digniores essent, ac præstantiores concubinis & filiis concubinarum, non tamen ut factò dilectionis essent, & acceptiores vel marito, vel patri, quod quantum semper repugnet naturalibus conjugii bonis, nemo non videt.

Verum enimverò has observationes utut maximè opportunas, dixerim etiam optimas, & per se satis idoneas ad imponendum cuicumque controversiæ finem, si non prætercundas omnino, saltem levius attingendas putavi; si quidem durior, & salebrosior disputatio, quæ

quæ in hoc proposito emergit, oritur ex factò, & consuetudine plurium populorum, qui multiplex conjugium probaverunt, quorum opinionem, & usum qui allegaret, non adeo sibi facile persuaderetur, versari in ea re naturale præceptum, quando naturales præceptiones eæ passim dicuntur, quæ à populis universis saltem cultioribus custodiuntur. Quid ergo? Si tantum de gentibus illis ageretur, quæ divinis præceptionibus neglectis, & nefario, etiam idolatriæ seclere obcæcæ, naturales ipsas institutiones parvi facere & potuerunt, & consueverunt ex vitio naturæ semel corruptæ, unde fit, ut depravatæ nationes depravis ruant præcipites in pejora, facile esset, huc revocare ea principia, quæ posui initio hujus tractationis, dicendo nimirum, confugiendum esse ad primigeniam matrimonii naturam à Deo Creatore institutam, juxta quam Deus unum cum una tantummodò sociavit adjecta clausula: *Erunt duo in carne una;* dicendo præterea, Christum Dominum in cap. 19. Matthæi conjugiorum jura ad primigenias naturæ institutiones exigentem ita declaravisse: Quod si in contrarium allegaretur, ex multitudine uxorum emergere etiam quædam in rem publicam emolumenta: nimirum majorem liberorum numerum, incrementum propterea humani generis & societatis, in quo finis obtinetur amplior conjugiorum à natura ipsa intentus; facile etiam dicerem, nihilominus vel ipso mundi nascentis initio, quo necessaria erat humani generis propagatio, naturam non nisi unicum uxorem sociavisse viro; in super, numerum liberorum aut parum utilem societati esse, ubi nequeunt honestè ac liberaliter educari, ubi præterea discordia animorum inter ipsos liberos ex ipsa nativitate ex diversis matribus concitaretur, aut ita esse cum pace familiari, & liberali educatione jungendum, ut, dum bonum liberorum multiplicandorum curator, bonum familiæ pacatè regendæ educandæque mi-

nimè negligatur, quod sanè nullo modo evenire potest, nisi unius tantum cum una sit matrimonium. Sed quod gravissimè disputationis hujus exitum turbare potest, sunt mores veterum Sanctorum virorum, ipsorum etiam Patriarcharum Hebræorum, qui plures uxores unà duxerunt, quocumque appellarentur nomine, vel matrumfamilias, vel concubinarum, aliàs autem Deo acceptissimi fuisse deprehenduntur, & sacris veteris testamenti litteris gloriosè laudantur, quasi illorum vita honestissimo cuique nec poenitendo exemplo esse possit, quod profectò dici nequit, si naturalia præcepta temeravissent. Id adeo verum est, ut S. Ambrosius cum de Abrahamo loqueretur, qui ducta Sara duxit etiam ancillam Agar, inter plures illius Patriarchæ excusationes, illam etiam proferreret: *Quia Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur. Pena criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in paradiso conjugium laudaverat, non adulterium damnaverat.* can. 3. caus. 32. quæst. 4.; quod secutus est Innocentius III. in cap. 8. vers. *nec ulli de divortii.*

Digna est hæc causa, quæ in præsentia discutatur. Certa ab incertis sejungamus, & ea, quæ nullam unquam dubitationem admiserunt, ab iis, quæ in dubium cadere possunt ob facta proposita in contrarium. Certum in primis est, nullum unquam in sacris litteris factum reperiri, aut probari, quo una uxor pluribus viris juncta deprehendatur; quamobrem facti disputatio eo tantum refertur, an unius mariti ritè permissum quandoquæ adpareat, plures uxores ducere. Deinde etiam certum est, generaliter in sacris litteris fuisse viro prohibitum, ne plures uxores duceret, & quidem ea ipsa lege protoparentibus nostris tradita, quæ sanè naturalis est, dum unius viro à Deo juncta tantum fuit una uxor, &

quidem eo tempore, quo maximè sollicita natura fuit de multiplicando hominum numero, dum dictum est, arctissimam esse debere inter virum & uxorem necessitudinem, eandemque, & filiali, & maternæ præferendam, dum dicitur est, uxorem fore adiutorium simile viro, dum denique dictum est, erunt duo in carne una, quæ sanè non nisi in uxore unica ducenda, vera esse possunt. Hanc generalem legem renovavit Deus in Deuteronomio cap. 17. vers. 17. ibi: *Non habebis uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus.* In nova autem lege naturalis illa unitatis conjugalis honestas majorem adhuc firmitatem accepit, imò & ad eludendos quoscumque prætextus in nitidiorum formam translata est, quando Christus Dominus primùm in vinctos Judæorum plurimum abusus reprehendens, omnia exigenda mandavit ad protoparentum conjugium formam, ut duo essent in carne una, & recedere deberet vir à quacumque alia etiam parentum necessitudine, ut uxori primò ductæ adhereret, deinde quum mandaverit, ut abrogato libello repudiij nulla alia uxor superinduceretur, potiore jure mandavisse intelligitur, ut ne alia quidem superinduceretur uxori, prima & legitima uxore retenta, Matthæi cap. 19., & Marci cap. 10., denique matrimonium elevavit ad Sacramenti dignitatem, qua juxta phrasim Pauli in cap. 5. ad Ephes. in conjunctione viri & uxoris, conjunctio Christi & Ecclesiæ significaretur; unde quemadmodum una erat, & perpetua una exitura esset Ecclesia, quæ Christo jungebatur, ita & una uxor esse debet à marito ducenda. Postremò certum est, etiam in iis ipsis casibus, in quibus exhibentur in sacris ipsis litteris conjugia unius viri cum pluribus feminis, exhiberi præterea emergentia dissidia familiaria inter uxores ipsas plures, item inter filios ex diversis matribus genitos, ipso naturæ jure destituta; unde deducitur, ea, quæ ibidem adferuntur, non esse generaliter

probabilia exempla, & quæ in consequentiam facile trahi possent. Generalis dissidiorum causa, aut occasio exprimitur in cap. 21. Deuteronomio. vers. 15. ibi: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram adiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerisque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscat primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.* Exempla etiam perspicua sunt simulatum exortatum inter Abraham, & Saram occasione alterius uxoris Agar, & ea suscepti filii Ismaelis, Genes. c. 21., item simulatum inter Annam, & Phennam uxores Elcana, in lib. 1. Regum cap. 1., itidem simulatum inter Liam, & Rachelem, ut ut sorores, utramque Jacobo nuptam, de quibus in cap. 30. Genes. vers. 15. & sequi., ut alia prætermittam numero plurima hujusmodi exempla.

Agedum verò facta Judæorum veterum, ipsorum etiam Patriarcharum, aliorumve, qui in sacris veteris Testamenti litteris commemorantur, expendamus. Viros poligamos in sacris eisdem litteris commemoratos ad triplicem censum redigere oportet. Alii enim sunt, quos ex eo ipso sacræ litteræ improbant, vel criminis reos proclamant, vel etiam damnant; alii sunt, quos poligamos fuisse sacræ litteræ quidem narrant, quin tamen eorum conjugia expressè improbant, sed cæteroque veluti aliis vitis inquantos, & coram Deo peccatores notaverunt; alii denique sunt, qui feruntur fuisse bigami, vel poligami, unà autem non solum ex eo non damnantur, sed & quasi ex absoluta legis observatione perfecti, atque Deo undecumque acceptissimi gloriose laudantur. Ex facto primi, & secundi generis hominum, sine injuria concludi posset, statim ac ipsi, aut improbantur in divinis litteris ex multiplici conjugij causa, aut gene-

raliter ex prava, quam iniverunt, vitæ ratione damnantur, deliquisse eos contra naturalia præcepta, neque jure potuisse sibi plures conjuges jungere, eorundemque propterea factum nullum facessere posse negotium in proposito controversæ definitione. Tantùm habenda est ratio hominum tertii generis, quorum facta ita expendere juvat, ut aut excusandi alii sint, propterea quòd in certis versarentur adjunctis, in quibus id sibi licere arbitrati fuerint, quasi adversus generales naturæ præceptiones proposuissent probabiles exceptiones; aut saltem non omninò damnandi, quòd non improbabilem suis temporibus causam haberent putandi, sibi esse, divinitus à generali naturæ regula dispensatum.

Utile est historica quadam narratione facta clariora percurrere. Primus Lamech exhibetur in sacris litteris duas duxisse uxores, Adam nimirum, & Selam, Gen. cap. 4. vers. 19. Is autem de stirpe perdidit Cain, qui & se humani sanguinis effusorem avita Caini exempla secutum confessus est, in vers. 32., tantùm haberi non potest, ut dicendum sit, nihil ipsum admisisse adversus præcepta naturæ, ejusque impensorem libidinem notari non posse, quando scimus, ceteros priscos homines ad seram usque Abrahami ætatem à multiplici conjugio constantissimè temperasse. Deventum est ad Abrahamæ tempora, quando Sanctus Patriarcha Saræ uxori superinduxit Agar, nomine concubinæ, Genes. cap. 16. (De Cethura non loquor, cuius conjugium huc non pertinet, propterea quòd ducta fuerit post mortem uxoris Saræ, can. 1. caus. 32. quæst. 4., fortè etiam post mortem Agar, quamquam ea modò uxor, modò concubina dicitur, Genes. cap. 25., juncto cap. 23., & lib. 1. Paralipom. cap. 1.) En primum virum eximie probitatis, duabus conjugibus junctum, quem tamen quisquam mirari non debet è adductum, ut generales honestatis conjugalibus leges in-

super haberet, quando nec ipse aut spontè, aut statim è adduci potuit sed tum demùm, cùm plura menti obversarentur, quibus sibi videri posset, licere ex ancilla Agar liberos querere sine injuria naturalium præceptionum conjugium duplex abominantur. Erat ipsi sterilis uxor, & jam senè confecta, quæ jam spem omnem liberorum suscipiendorum abjecerat. Eidem promiserat jampridem Deus futurum, ut sicut stellarum cæli, ita & liberorum ejus magnus esset numerus, & talis, qui terram universam Canaam solidam possideret, Gen. cap. 12. & 15. Accedebant his preces Saræ uxoris viro offerentis ancillam Agar, ex qua susciperet liberos, Gen. cap. 16. Quis non intelligat, in his adjunctis, turbari potuisse Abrahamæ animum, statimque variis fuisse cogitationibus involutum? Hinc novam rem, quæ nullum antea habebat probabile exemplum, & horrere poterat, & quæ generalibus naturæ præceptionibus repugnabat. Illinc videbatur ipsi generalia naturæ præcepta in ea singulari specie non habere locum, quando uxor sterilis erat, & jamdudum senectute confecta; aliàs autem divinas promissiones impleri non posse, nisi mirò prodigio, sperabatur, & uxor ipsa ancillam Agar adjectis etiam enixis precibus exhibebat. Ita ego intelligo Ambrosii verba jam superius laudata, & quæ habentur in can. 3. caus. 32. quæst. 4. In his adjunctis cum Agar congregari se posse, fortè etiam debere, censuit, ut liberis aliàs insperatis vacaret, ut divinis implendis promissionibus non expectato miraculo occasionem praberet, ut deprecanti Saræ indulgeret, quasi naturale præceptum non superinducendæ secundæ conjugis cessavisse tunc videretur nam secundum illud conjugium judicio Abrahamæ non oberat educationi liberorum, quando nullos ex Sara susceperat, neque ullos suscepturum ex eadem sperabat; neque oberat familiari tranquillitati, seu mutua inter se, & uxorem benevolentia, quando non spontè sed uxore

ris consilio ac precibus, duceret Agar, aliàs velut ancillam potestati Saræ uxoris obnoxiam. His animi adfectionibus inclinatus secundum inivit conjugium, in quo non fuit à Deo reprehensus, quòd bona fide omnia gesta deprehenderentur, necnisi post diuturnam rei gerendæ de liberationem, ut omittam in ea re altiora Supremi Numinis arcana scrutari, quam veluti symbolum magnorum, sacrorumque divinorum operum futuræ ætati Deus ipse permisit, juxta observationes Pauli Apostoli, in cap. 4. epist. ad Galatas, ibi: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per reprobationem, que sunt per allegoriam dicta: hac enim sunt duo testamenta.* Ceterum eo factò conjugio, præsertim postquam etiam de Sara susceptus est filius, permisit Deus, ut statim inter Saram utrumque dominam, & Agar utrumque ejus ancillam, similitates suborirentur, Gen. cap. 16., quemadmodum & inter liberos ex utraque uxore exinde natos, Gen. cap. 21., unde statim agnosceret Abraham, frustrâ se spem concepissee futurum, ut in eo duplici conjugio adhuc naturalis matrimonii finis, quale est inter cetera familiare bonum, obtineretur exinde etiam successoribus præberetur exemplum, ne similia sequerentur, quamobrem consilio Saræ, probante Deo, eo adduci debuit Sanctus Patriarcha, ut conjugium illud secundum dissolveret, & quidem quasi minus rectè contractum, ac facti pœnitens & ancillam uxorem, & filium ancillæ uxoris ejiceret, dicto cap. 21. Gen., can. 9. caus. 32. quæst. 4. Isaac Abraham filius, familiarium exinde emergentium dissidiorum apprimè conscius & testis, una fuit uxore contentus. Non ita Jacob filius Isaac, cui primum mens erat cum una Rachele conjugii, quique nonnisi ex errore conjunctæ Liæ Rachelem deinde superinduxit, duas autem alias veluti concubinas adscivit ancillas uxorem, Balam, & Zelpham, Gen. cap. 29. 30. 35., & 37. Non debeo hec

iterum altissima divinæ imperviæ providentiæ arcana scrutari, quæ humanas mentes pœnitens latent, ob magna mysteria à Sanctis Patribus in hoc factò agnita, inter ceteros ab Augustino in canone 2. dist. 26. Dicam tamen, plurimum valere potuisse apud Jacobum respectu ducendarum ancillarum avita Abraham exempla, quæ sequi inde etiam sine altiore adjunctorum omnium investigatione turpe illi non videbatur, unde Augustinus factum illud excusans, ait: *Obiciuntur Jacob quatuor uxores, quod quando mos erat, crimen non erat, can. 7. caus. 32. quæst. 4., mos, inquam, qui ab Abrahamo initium ceperat.* Respectu verò ducarum sororum ducendarum plurimum valere poterat cogitatio, quæ suadebat, non esse abominabile conjugium cum Rachele ante Liam Jacobo desponsa, neque ratihibitionem conjugii Liæ esse omnino spernendam, ut inter socerum magis sollicitum de conjugio Liæ, & inter generum magis cupidum conjugii cum Rachele ineundi, nulla esset similitas, nullaque contentio, sed arctior fieret totius familiæ necessitudo. Majora incitamenta Jacobo addere poterant divinæ promissiones olim Abraham factæ de ejus semine sicut stellis multiplicandis, quas promissiones eidem Jacobo Deus ipse confirmaverat his verbis: *Cresce, & multiplica: Gentes, & populi nationum ex te erunt: Reges de lumbis tuis egredientur, Gen. cap. 35.* Ceterum vel ipsæ sacræ litteræ hæc omnia per historiam referentes, satis indicant, naturalia bona conjugii in hoc multiplici Jacobi conjugio non fuisse, sive ex eo, quòd simultates inter uxores ipsas Liam, & Rachelem, ut ut sorores subortæ fuerint, Gen. cap. 29. & 30., sive ex eo, quòd verus amor inter Jacobi filios ex diversis matribus ortos minimè exitit, Gen. cap. 37. Quidquid autem Laban Jacobo socioer, Gen. cap. 31. vers. 54., generum rogaris, ne alias uxores Liæ, & Racheli superinduceret, ita locutus est, quasi tùm *suas filias afflicturus fuisset?* Quid modò com-

memorem plures uxores Nachor fratris Abraham, de quo legitur in cap. 22. vers. 24. Gen., aut plures uxores Esau fratris Jacobi, de quo sermo fit Gen. cap. 26. vers. 34., & cap. 36. vers. 2. & 6. De facto enim talium virorum, utpotè Deo minimè acceptorum, minus solliciti esse debemus, de quibus propterea concludere possumus, eos, sicut in aliis causis, ita in ista, à naturali jure temerè, & non sine crimine recessisse. Mores Nachor non satis fuisse Deo probatos, ex eo intelligimus, quòd Deus Abraham præceperit, ut de cognatione sua, quasi sibi minus accepta, egredere-tur, Gen. cap. 12., quamquam Deo deinde placuerint nuptiæ Isaac cum Rebecca, quæ natalia non habebat improbanda, utpotè de justa uxore Nachor progenita, non de superinducta Nachor concubina, Gen. cap. 24. Mores Esau fuisse Deo invisos nemo ignorat, qui vel leviter sacram historiam attigerit, quemadmodum & mores uxorum, *que amba offenderant animum Isaac, & Rebecca, uti legitur in cap. 26. Gen. in fine.* Eoquidem fateor, recentiore ætate Judæos plures sibi conjuges adscivisse, exempla potissimum prætexentes Abraham, & Jacobi Patriarcharum, quorum gesta nec mo lacessere dicitis, imò nec singularibus allegationibus excusare audebat, quasi virorum omni exceptione majorum. Poterat illa exempla facilè in medium ab eo proferri, qui diceret, se in pluribus ducendis uxoris non novo libidinis genere efferrè, sed antiquorum, & majorum mores, ac consuetudinem prosequi. Ceterum ut plurimum adparet eos, quos constat, plures duxisse uxores, parum acceptos fuisse apud Deum, tantum non ob eam causam expressè damnatos; ne si fortè expressè damnati fuissent, & specialiter ob multitudinem uxorum, Judæis eisdem à veri Dei cultu, & majorum suorum fide, ac religione frequentissimè deflendentibus daretur occasio, detestandi majores suos, Abrahamum, & Jacobum, quos noverant mul-

tiplici etiam matrimonio vacavisse; quammaximè autem intererat religionis, & pietatis, nihil minui existimationis veterum illorum Patriarcharum; unde quæ ab initio providente Deo sacrarum altissimarum rerum symbola extiterunt, quæque Abraham & Jacobo deliberantibus, opportuna, & suis temporibus congrua visa olim fuerunt, in quandam veluti dispensationem, ut patientiam inflecti decuit, exemplo libelli repudiij ob duritiam cordis Judæorum lege Moisaica permittendi, in futura redemptionis humanæ tempora collata restitutione in integrum naturalium præceptorum. Hinc inter ceteros Gedeon plures sibi uxores junxisse legitur, Judicium cap. 8. vers. 30. & 31., quamquam dicere possumus, Gedeonem non undecumque Deo gratum existisse, licet olim electò populo præfectus à Deo fuisset. Item Hesron, & Caleb plures habuisse licet uxores, lib. 1. Paralip. cap. 2. vers. 21. 24. 26. 46. & 48., an Deo accepti ipsi fuerint, fateor me ignorare. Itidem in lib. 1. Paralipom. cap. 4. vers. 5. memoratur Assur duabus sociatus uxoris, cujus mores an integri undecumque fuerint, sacræ litteræ non aperiuunt. Idipsum dico de Sarai, de quo mentio fit in lib. 1. Paralip. cap. 8. vers. 8. & 9. Non memero concubinatuum Levites illius, de quo mentio occurrat in cap. 19. & 20. Judicium; quæ enim ibi dicitur concubina, legitima erat, & unica Levites uxori, quemadmodum ex eisdem capitibus aperitissimè constat, fortè ex eo singulari concubina nomine appellata, quòd è Levitæ familia in paternam domum diverterat, nec adhuc erat in domum mariti reducta. Qui verò præ ceteris sibi licere putabant plures uxores habere, erant vel ii, quibus sterilitis ullos fuerat, & præbore sibi verbeant nullo liberò familiae successores, vel ii, qui populorum Duces erant, ac Principes, de quorum propagine amplificanda interesset plurimum videbatur; siquidem duobus his hominum generibus magis ac-

commodabantur exempla veterum Patriarcharum Abrahamæ, & Jacobi, prout modò dicebatur ab ipsis, Abrahamum secundam uxorem duxisse, quòd sterilis esset prima, & Jacobum tùm demùm ad ancillas uxorum accessisse, cùm uxores parere desissent; modò dicebatur, ideo Abrahamum, & Jacobum de multiplici generatione fuisse sollicitos, quòd erant constitui veluti Duces, & Principes magnæ familiæ, in magnam gentem, & populum ex divinis promissionibus evassuræ. En causam, quare Elcana post ductam Annam, prætextu sterilitatis ipsius duxit Phenennam, quam exiis plenus simultatum inter duas conjuges demonstravit, conjugium illud non omninò potuisse congruere naturali fini conjugiorum, lib. 1. Regum cap. 1. En causam quare etiam multi Judæorum Reges plurimas sibi uxores adsciverunt: sic Saul præter uxorem habuit concubinam, lib. 2. Reg. cap. 3. vers. 7., & cap. 2. vers. 11., qua tamen in re adhuc dici posset, mores Saulis non fuisse Deo probatos; sic David plures sibi conjuges junxit, lib. 1. Regum cap. 25. in fine, cap. 27. vers. 3., cap. 30. vers. 5. & 18., lib. 2. cap. 2. vers. 2., cap. 3. vers. 2. & sequi, præter alias concubinas, lib. 2. Regum cap. 5. vers. 13., cap. 12. vers. 8. & 11., cap. 15. vers. 16., cap. 16. vers. 21. & 22., cap. 19. vers. 5., cap. 20. vers. 3., lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 9., & cap. 14. vers. 3., quamquam multiplex ista, & vaga libido eò tandem Principem adduxit, ut ad probra adulteria, & impia homicidia progredere, exinde à Propheta divino jussu gravissimè objurgatus, lib. 2. Regum cap. 11. & 12., utinam etiam id filius David pessimo non fuisset exemplo, quo incesta se libidine maculaverunt, uti legitur in lib. 2. Regum cap. 13. Sic Salomoni legitimus septingentas uxores fuisse, & concubinas trecentas, lib. 3. Regum cap. 11., de quibus tamen dicitur: *Et averterunt mulieres cor ejus: Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mu-*

lieres, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo. Et quamquam tanta abominatio ex eo profecta fuisset, quòd uxores sine discrimine duceret, etiam alienigenas, & Idololatriæ superstitionibus deditas, nemo tamen inficias ire potest, quin sensim ed adductus fuisset ex nimis vaga, & longè plus æquo provecta libidine, cui uxorum plurimum ducendarum licentia occasione latam præbuerat. Sic Roboamo & ipsi Regi, paterna Salomonis exempla secuto, fuerunt decem & octo uxores, præter concubinas sexaginta, lib. 2. Paralip. cap. 11., quem tamen impium gessisse, & Deo abominabilem principatum nemo ignorat. Sic Abias & ipse Rex Roboami filius quatuordecim accepit uxores, lib. 2. Paralip. cap. 13., an verò ejus gesta accepta inde Deo fuerint, ignoramus. Sic Joras & ipse Rex multiplici uxorum consortio delectatus est, invidus tamen Deo, quem sensit ultorem, lib. 2. Paralip. cap. 21. Sic denique Joas & ipse Rex duas duxit uxores, qua in re parcius sibi indulsit consilio Jojadæ Sacerdotis, facilè non patientis, magnam illam uxorem multitudinem veterum Regum voluntate inducunt diutius in usu esse, lib. 2. Paralip. cap. 24. His universis Regibus occasione multiplicis ineundi conjugii præbere etiam potuit gravis sollicitudo multiplicis suscipiendæ prolis, qua fieret, ut domesticis magisque fideles bellatores haberent ad tuendum Judæorum Regnum ad versus exteros Principes, quibus etiam erant multi liberi ex multis uxoribus, quas ducere consueverant. Hinc autem fortè Reges illi putaverunt, magis ea ratione consultum iri bono publico, & consulendum reverà fuisse, insuper habito, seu postposito bono privato bene regendæ familiæ, quod sanè naturali jure uxorem duci unicam postulari. Quid modò recenseam Principes alienigenas in sacris litteris commemoratos, Balthasarem, qui plures & uxores & concubinas habebat, Danielis cap. 5. vers. 2. &

& 23., Antiochum & ipsum multiplici conjugio delectatum, uti legitur in 1. 2. Machabæor. cap. 4. vers. 30., & Assuerum eadem consuetudine utentem, uti habetur in lib. Esther cap. 2. ? Erant isti Principes idololatriæ dediti, quos si non puduit à veri Dei cultu longè removeri, neque facilè puduit, naturalem conjugiorum honestatem contemnere. Tantùm adjiciam, puellam Esther divino consilio passam fuisse, ut & ipsa ad Assuerum adduceretur, undè sperebatur, quod deinde evenit, ut ejus opera Judaicus populus jamdiu miserè pressus, in quandam inciperet libertatis speciem proclamare, nec sine speciali divina dispensatione, qua etiam permisum traditur, ut Judæa puella alienigenæ jungeretur, ejusmodi conjunctionem alias Deus ipse inter institutiones Moysi datas generaliter improbaverat. Ut paucis universa concludam, dico, apud veteres homines perrarè inveniri posse, & vix in Abrahamo & Jacobo, probabile quoddam plurium ductarum uxorum exemplum, & quidem incertis causarum adjuñctis, quæ cùm regulæ generali exceptionem facere viderentur, regulam potius contrariam confirmabant; post hæc frequentius quidem, sed non passim, in populo sancto conjugia ejus generis adparuisse, ubi aut sterilis prima uxor esset, aut ageretur de Principibus, vel insignibus quibusdam familiis, quarum respectu major liberorum suscipiendorum numerus videretur causis ac temporibus opportunus: imò nec ista conjugia fuisse in sacris litteris comprobata, quamquam expressè non reprobandentur, ne occasio exinde præberetur carpendi facta veterum Patriarcharum, virosque eosdem sanctissimos, qui uni ex cæteris hominibus in Dei cultu persisterant, contemnendi; imò & sacras ipsas litteras, cùm ea conjugia enarrarent, statim subjecisse oculis varia incommoda, & naturalium bonorum jacturam, quæ ex multis ductis uxoribus idemdem emergebant, unde

homines occasionem arriperent, advocandi se ab ea disciplina, ac consuetudine: cæterum post Christi Domini adventum, quim longè magis præclara fidelibus baptizatis proponerentur exempla sequenda, quam exempla Abrahami, & Jacobi; quum veteris testamenti tanta non fuit amplius habenda ratio, utropè impletis figuris, & ad elegantiorum formam pietate ac religione in Deum exacta, magis firmatas fuisse naturales præceptiones, atque unitatem conjugii non de novo constitutam, sed ad naturalem simplicitatem restitutam, Matthæi cap. 19., imò & similitudine sacra unitatis Ecclesiæ cum Christo junctæ sanctificatam, epist. Pauli ad Ephesios cap. 5., quod & observavit Innocentius III. in cap. 8. de divortis.

Naturalibus institutionibus ita restitutis atque firmatis, quis dubitet, quin irritum sit secundum conjugium, consistente adhuc priore, quando agitur de naturali præcepto ea respiciente, quæ intimè coheret conjugii naturæ, & quo non servato, conjugii fines minimè obtinerentur? Quæ in cap. 1. hujus dissertationis præstitui, rem hanc abundè declarant, neque opus pluribus in præsentia. Quid verò contra ista principia, molita non est hominum improbissimorum perfidia, ac libido? Non defuerunt, qui alium superinducere conjugem adamantes, non tantùm thalami fidem violare ausi, sed etiam data novi conjugii sponsione in prioris conjugis necem machinati sunt. His obviam iverunt & civiles, & ecclesiastica leges. Romano jure etiam antiquissimo generaliter cautum fuit, ut adulter, & adultera invicem nunquam possent, ne soluto quidem priore conjugio, jungi, l. 11. §. 11. l. 40. ff. ad leg. Jul. de adulter., l. 13. ff. de his, quæ ut indign., Nov. 134. cap. 12. Idipsum Patres ecclesiastici definiverunt; can. 1. 3. 4. 5. & 6. caus. 31. quæst. 1., inter quæ refertur decretum Concilii Triburiensis anni 895. can. 4. ita concep-

tum: Non licet ergo, nec Christiana religio oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio. Ex quo colligitur, eam disciplinam etiam sub finem noni sæculi fuisse in Ecclesia confirmatam, & quidem ita, ut nullo jure matrimonium consisteret, cum etiam juxta vetustissimam Romanorum disciplinam irrita ea conjugia habita fuerint, dicta l. 11. §. 11. ff. ad leg. Jul. de adult., dicta l. 13. ff. de his, quæ ut indign., dicta Nov. 134., imò & contractum matrimonium inter eos, qui de adulterio non convicti quidem, sed suspecti olim fuerant, conjecturam præbebat gravem, qua præsumeretur adulterium jam antea admissum, l. 27. & 34. cod. ad leg. Jul. de adult. Nonnullis visum fuit, aliter placuisse Augustino in lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 10., cujus verba ita describuntur apud Gratianum in can. 2. caus. 31. quæst. 1. Denique mortuo viro, cum quo verum concubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium. Romani Correctores observaverunt, in editionibus operum B. Augustini, & uno Vaticano codice, unoque item Gratiani exemplari, ita legi: *Fieri verum concubium non potest*; quæ sanè si ita reverà legenda essent, difficultatem omnem penitus submoverent. At subjiciunt iidem Correctores Romani, in duobus Vaticanis recentioribus codicibus negationem desiderari, proindeque in incerto reliquisse videntur, cui lectiōni magis adhaserint. Quod ad Gratianum attinet, ejusque codicem, facile est concludere, collectorem ita scripsisse, uti legitur in vulgaris exemplaribus, nimirum sine particula negativa; secus consistere ea non possent, quæ Gratianus idem ad eundem canonem & superius, & statim inferius adnotavit. Quod spectat codices Augustini, Maurini Monachi curiosi librorum Augustinianorum investigatores referunt, se in optimis Augustini codicibus negativam particulam non invenisse. Ut autem Sancti Hippo-

ponensis Antistitis germana sententia expendatur, integra erunt hæc referenda verba Augustini, quorum pars etiam refertur in can. 28. caus. 32. quæst. 7. Ait ille, postquam generaliter scripsit, conjuges non posse invicem divortio separari: *Quod si quisquam fecerit, non legi hujus sæculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare concubia, quod etiam Sanctum Moyses Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse restatur, sed lege Evangelii reus est adulterii, sicut etiam illa, si alteri nuptiæ. Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhaserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum concubium fuit, fieri verum concubium potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre; manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis &c.* Profectò liquet ex his, sententiam Augustini non pertinere ad propositam quæstionem, sed ad diversam speciem, nimirum ad eam, qua proponebatur, duos conjuges divortio factò fuisse se junctos juxta veterum disciplinam. Secundum enim conjugium legibus publicis tunc non habebatur tanquam adulterium, quamquam secundum Evangelii leges meritò appellari adulterium potuisset. Tùm verò primum scripsit Augustinus, dici conjugium posse, quum vir, à quo uxor diverterat, obisset. Nihil adjicio hoc in loco de sequenti-bus Augustini verbis depromptis, ex lib. de bono conjugali, & relatis in §. *Poste sanè dicto can. 2. caus. 31. quæst. 1.* ubi enim sermonem sanctus Vir instituerat non de nuptis adulterium passis, sed de concubinis, quarum conditio proximè ad conditionem nuptiarum accedebat, de quibus propterea dici poterat, *posse fieri nuptias ex personis male conjunctis, honesto placito postea consequente.* Utrumque

quæ Augustini locum rectissimè Gratianus interpretatus est, uti liquet ex ejusdem verbis laudato canonis subjectis; sed non ita accuratum se gessit veteris disciplinam retinendæ custodem, ac vindicem in tota quæst. 1. caus. 31., etenim ibidem variis priscis canonibus descriptis, conclusit suffragio suo, rùm demùm irritum esse adulterorum conjugium, quum viro vivente sponsio inita fuisset inter adulteros de futuris nuptiis jurejurando firmata. Igitur primus Gratianus spontè novam disciplinam invenire voluit, seu veterem generalem disciplinam ad certos tantùm casus coercere. At recentiores Interpretes neque omninò Gratiano adhaserunt, neque omninò disciplinam veterem sequi maluerunt; siquidem commenti sunt certos casus, quibus inter adulterum, & adulteram nullo modo conjugium consistere posset, & extra quos consisteret eo tempore, quo dissolutum prius conjugium proponeretur. Hinc passim tradidit, in his tantùm facti speciebus inter adulteros nunquam esse posse conjugium: primò, si inter illos fides, & pactio futuri matrimonii intercesserit, quod & definitum fuit in cap. 1. & 6. de eo qui duxit; secundo, si conscii vitæ conjugis nihilominus palàm matrimonium contrahere non eruberint, si ve id contigerit ante, si ve post admissum adulterii crimen, cap. ult. eod. tit., quin tamen sufficiat, alterutrum conscium esse altero ignorante; nam si fortè maritus puellam nubilem blandè pellexerit, fingens se conjugii lege solum, & sub futuri conjugii spe violaverit ignorantem, matrimonium est, inter ipsos nuptias soluto matrimonio non prohiberi, dicto cap. 1. & cap. 7. eod. tit. Tertio, si maritus adulter, vel uxor adultera aliquid molitū fuerint in mortem conjugis, si ve secuta fuerit mors, si ve non, cap. 3. eod. tit., ubi animadvertendum est, neque conjugis secuta, matrimonium injuri inter illos non posse, etiam si

adulterium non præcessit. Imò & traditum est, id adhuc observari oportere, licet fortè conjux occisus infidelis esset, & ad alterius conjugis conversionem & secuta occisio fuerit, & initum matrimonium, cum tale damnum cum tali lucro Ecclesia non compenset, cap. 1. de convers. infidel. Verùm hæc omnia, quæ diximus de iis, qui fidem conjugii dederunt, alteri conjugio non jungendis, minimè pertinent ad eos, qui tantum dederunt sponsalium fidem; licet enim isti delinquant, dum sponsalium fidem non servant, subsequens tamen conjugium cum altera contractum jure consistet, cap. 15. de sponsal. Nihil in hæc rem in præsentia adjicio, ut potè superius jam fuis explicatum, cum de sponsalibus verba facerem.

Succedit altera investigatio de iis, qui voto continentie elicto fidem suam Deo obstrinxerunt, ne unquam conjugia contraherent. Quicumque generaliter, & sine ulla prorūs exceptione diceret, non licere matrimonio jungi eos, qui votum continentie emiserint, quicumque tandem ii sint, & qualemque sit votum, dummodò liberè emissum, ac voluntariè, rem ille traderet in vulgari prudentia positam, quæ consonat naturalibus æquè ac divinis præceptis lege publica confirmatis. At quoties eò res redigatur, ut contracta à voventibus matrimonia irrita fore credantur, intricatur disputationibus acerrimis, quibus sanè nisi legum definitionibus finis esset imposita, propemodum in incerto, aut saltem inter contradictas opiniones fluctuarem. Antiqua est de viribus nuptiarum post votum continentie contractarum controversia; nam vel ipsi veteres Ecclesiæ Patres diversis in hæc materie formulis usi sunt, ex quibus in contrarias ivisse opiniones videantur; aliis, dum publicè populum alloquerentur, declamantibus, eas nuptias incertas esse, neque longè ab adulterio remotas, can. 2. & 9. dist. 27., can. 1. 3. 10. 17. & 21. caus.

caus. 27. quæst. 1., aut ista conjugia contrahentes ad continentiam propositum esse revocandos, atque à conjugibus separandos, can. 2. 5. 7. 13. & 15. caus. 27. quæst. 1., aliis è contrario pœnitentiis quidem expiandos esse prævaricatores mandantibus, conjugio tamen non dissoluto, can. 2. & 9. dist. 27. can. 12. 22. 24. 30. 41. caus. 27. quæst. 1. Tota hæc res variis Ecclesiarum usibus fuit obnoxia, imò & pro varietate adjunctorum, præsertim pro votorum & votentium qualitate, varias definitio- nes accepit; imò & quibus in casibus non definitur quidem, irritum esse conjugium, attamen contrahentes diuturnæ, aliquando etiam perpetuæ pœnitentiæ addicerentur, in qua constitutis con- jugio interdicebatur; nonnulli putarunt, conjugium irritum habitum fuisse. Gra- tianus in codice suo scrutatus canones veteres in caus. 27. quæst. 1., post canonem 40. generaliter in primis statuit, *voventes prohiberi contrahere matrimonia, sed quosdam eorum, si contraxerint, juberi separari*; quosdam, inquit, ut indicaret, quorundam matrimonia etiam irrita fore, quorundam tantum illicita; & in fine ejusdem questionis post canonem 43. discrimina eorundem conjugiorum dixit se evidenter ostendisse in capitulo de ordinatione Clericorum. Retulit se ad distinctionem 27., quam qui percurrerit universam, non sanè percipiet, qua ratione Gratianus professus fuerit, se rem evidenter ostendisse; nam post canonem 1. adnotavit, *Diaconum post susceptam ordinationem, & emissum continentia- rum contractu matrimonio licite uti posse, si à ministerio cessare voluerit, proptereaquod et si in ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in Sacramento conjugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium*. Deinde verò muta- ta in parte sententia post canonem 8. duplex votentium genus distinxit, primum eorum, qui simpliciter voventes sunt, alterum eorum, quibus post votum beneficium accedit consecrationis, vel proposi-

tum religionis; quod ut verosimilius Gra- tianus redderet, in can. 3. adiecit vo- cem illam *simplex*; quæ apud Theodo- rum desideratur, imò & apud eundem Gratianum non adest in can. ult. caus. 27. quæst. 1., ubi idem fragmentum re- censetur; nisi dicere malis, vocem il- lam *simplex* recentiore manu fuisse ad- sumtam codici Gratiano. Qua facta distinctione dixit Gratianus, votum *simplex* non dirimere matrimonium, & contra contingere in alio votorum gene- re. Scholastici, qui erant Gratianæ doctrinæ valde studiosi, retento nomi- ne voti *simplicis* à Gratiano invento ad significandam priorum votorum speci- em, ut breviorum, & scholæ accom- modatis phrasim adhiberent, voto simplici opposuere *solemne*, quo poste- riorem votorum speciem designarent, statuentes indè, non simplici, sed so- lemnis continentia voto conjugia diri- mi, quod Cælestinus III. comprobavit, cap. 6. qui Cler. vel vov. Post hanc receptam distinctionem non omnis dis- putatio finita fuit, imò duplex reddita: primum enim in dubitationem venire poterat, quænam simplicia, quænam solemnia vota appellari possent, aut deberent: deinde investiganda erat cau- sa, quare quod solemne dicebatur, matrimonium dirimeret, non ita, quod simplex votum appellabatur. Prior quæ- stio quodammodo jam definita fuerat à Gratiano post canonem 8. dist. 27., quando tradidit, dirimi matrimonium, si voto continentia vel beneficium consecra- tionis, vel propositum religionis accessisset, unde hujusmodi votum solemne dici poterat, cætera autem simplicia, quæ matrimonia non dirimerent, cap. 3. qui Cler. vel vov. Verùm perspicua non erat apud Scholasticos definitio; quod enim de beneficio consecrationis dicebatur, non videbatur esse certum respectu Diaconorum, eorum minus Sub- diaconorum in conspectu Gratianæ ejus- dem doctrinæ in can. 1. dist. 27., junctis iis, quæ Gratianus ipse ad eum

canonem adnotavit; item quod diceba- tur de proposito religionis, adhuc dif- ficultatem facere poterat, num nomine propositi religionis intelligeretur actu elicitæ religio professio, num solum & simplex propositum religiosam vitam certo tempore ineundi. Respectu ordi- nis accesserat difficultas ex eo, quòd recens Subdiaconatus ordo sacrorum numero haberi inciperet; respectu reli- giosæ professionis ex eo, quòd dupli- ci modo ea fieri posset, vel tacite, vel expressè. Omnes hujus generis contro- versia deducta fuerunt ad Bonifacium VIII., qui auctoritate sua definitum, votum solemne in proposito illud dici, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sa- cri Ordinis (cujus nomine tum etiam vene- rabat Subdiaconatus, cap. 9. de at. & qual. præf.) aut per professionem expres- sam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam adprobatis, cap. un. de voto in 6. Itaque ex Bonifacio VIII. in quamdam lucis perspicuitatem ad- ducta fuit Gratianæ doctrina, ac confir- mata: nimirum, cujuscumque sacri Ordinis susceptionem, etiam Subdia- conatus, matrimonio prorsus obesse, quemadmodum quamcumque religionis professionem sive expressam, sive ta- citam, dummodò fuisset religio per Sedem Apostolicam adprobata; jamdiu enim obtinuerat temporibus Bonifacii VIII., ut nulla institui religio posset, nisi accedente Sedis Apostolicæ aucto- ritate, cap. ult. de relig. dom., cap. un. eod. tit. in 6. Inde insuper habitæ fuerunt veterum constitutiones, quasi penitus abrogatæ post novam invectam disciplinam; inter cæteros abrogati fue- runt canones 1. & 6. dist. 27. Clarjus adhuc Bonifacianum rescriptum expli- cavit edicto suo Joannes XXII. in ex- trav. un. de voto, & voti, red., ad- jiciens, non sufficere religiosam quam- cumque professionem in religione à Se- de Apostolica comprobata, sed ulterius requiri, ut undecumque perfecta reli- gio dici possit, ea nimirum, cujus

professio ad castitatis custodiam, & abdicatio- nem temporalium suis professoribus adstringat. Quamobrem sequitur, nihil hodiè ob- esse validitati conjugii ab eo contrac- ti, qui religioni militari eas omnes con- ditiones non habenti addictus fuerit, eorum minus ab eo, qui tertium Ordinem S. Francisci, vel S. Dominici extra claustra vivens professus sit, quemad- modum nec ab eo, qui sub vitæ eremiti- cæ nomine continentiam in manu Episcopi voverit, habitumque eremita- rum induerit. Addidisse videtur Con- ciliium Tridentinum, professionem de- bere esse solemnem, in can. 6. & 9. sess. 24. de Ref. matr., unde dubita- tum olim ab aliquibus fuit, an Reli- giosi Societatis Jesu ex priore voto quamquam minus solemniter emissio eam- dem ratione, qua cæteri solemniter profes- sites, ad contrahenda conjugia in- habiles haberentur; sed rem singulari constitutione, quæ incipit *Ascendente Domino*, declaravit Gregorius XIII. de- cernens, ita eos habendos esse in pro- positio, quemadmodum cæteri solem- niter professi. Difficilior erat solutio al- tera quæstio, qua causa erat investi- ganda, cur non quidem simplex, sed solemne tantum votum conjugia diri- meret; in qua definienda mirum est, quot & quanta in medium prodita fue- rint, nescio an singula ad sanam & sinceram philosophiam accommodata. Gratianus post canonem 1. dist. 27. generaliter tradidit, *tantam esse vim in Sacramento conjugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium*. Verùm hæc ratio cum aequè vigeat in voto so- lemnis, ac simplici, præsertim autem, quòd confirmata videatur in dicto ca- none 1., in quo species erat de voto continentia occasione Diaconalis ordi- nationis elicitæ, turbat potius & ever- tit ea discrimina, quæ agnita fuerant inter votum simplex & solemne. Alii dixerunt, in voto solemniori majorem esse deliberationem, quam in voto sim- plici. Verùm isti parum animadvertunt

runt meo iudicio ad naturam voti simplicis, & solemnis; non enim ex majoris vel minoris deliberationis causa votum aut simplex dicitur, aut solemnne, sed ex aliis causis, qualis est aut religiosa professio, aut susceptio sacri Ordinis; imò & potest aliquando contingere, ut gravior deliberatio sit in simplici, quam in solemnne edendo voto, quo tamen in casu dici non potest votum simplex conjugio obicem ponere. Alii tradiderunt, in voto simplici meram inesse promissionem, seu meram personalem obligationem, in voto autem solemnne præterea fieri, quandam veluti corporalem traditionem, adeo ut respectu monasticæ professionis ita quis transformetur, ut pro mortuo habeatur; respectu autem sacræ Ordinationis transformetur etiam vivens, & de persona profana incipiat esse sacra; ut exinde mirum non sit, votum solemnne irritum fieri nunquam posse, secus ac votum simplex, adducta in eam rem similitudine sponsalium & matrimonii, propterea quod nuda sponsalium fides non dirimat subsequentes nuptias cum alio contractas, secus ac contingat in data fide conjugii; adjecta etiam similitudine emptionis & venditionis, quæ si nuda conventionione celebretur, non obest, quin res in venditionem emptionemque deducta favore alterius cedatur, secus ac contingat, si emptio & venditio jam sit rei traditione perfecta. Sunt magis hæc ingeniosa, quam vera, nimirum referta symbolis & figuris, Asceticorum potius meditationibus accommodata, quam Philosophorum, & Jureconsultorum sententiis. Etenim in primis falsum est, ex natura voti solemnne eum effectum oriri, quando scimus aliquando constitutos in sacris Ordinibus, si non licitè, saltem validè conjugium contraxisse, can. 1. dist. 27., l. 45. cod. de Episc. & Cler. Deindè non satis percipitur, quomodò in voto simplici traditio non ceteratur eodem ferè modo, quo in voto

solemnne; quando æquè corpus suum ad effectum continentia servanda; Deo dicitur & dedit, quicumque qualecumque votum emittat; eamque ad rem sponsalium similitudo minimè pertinet, cum sponsalia in futuram, votum in præsentem & perpetuam obligationem conferatur; eove minus ad eandem rem pertinet similitudo emptionis & venditionis longè remota; neque enim facilè respectu Dei votum acceptantis traditio corporis, seu dedicatio tota sui ipsius ab homine facta à vera traditione distinguitur, quando ea obligatio personalis ad nullam rem, sed ad ipsam personam tota refertur; imò & natura pollicitationis, quæ in voto inest, acutius obligat, quam natura ceterorum pactorum, qui inter homines ineuntur argumento l. 7. ff. de pollicitatione.

Sunt istæ vulgares traditiones, ex quibus concludere quidem oportet, non aliter irrita esse illorum, qui olim voverunt, conjugia, quam ubi votum solemnne fuerit, seu ubi votum elicatum fuerit unà cum religiosa facta professione, vel unà cum sacri Ordinis susceptione; in cæteris autem votis, quæ simplicia dicuntur, delinquere quidem conjugia contrahentes, non tamen conjugia irrita fieri. At quoties in causam discriminis inquirendum sit, altiora juvat principia figere, ex quibus tota hæc controversia definiatur. Itaque dico, votum continentia, qualescumque sit, suapte natura matrimonii deinde contracti firmitati minimè obesse. Etenim licet divino jure unusquisque votum semel emissum implere cogatur, quoties tamen non impletur, & aliquid fit, quod non tam jure publico, quam jure divino firmatur, ne facilè rescindatur; quod contra votum, ut in probè factum est, adhuc reverà subsistit. Connubium quidem juris nomen est; multa tamen in factis consistunt legum publicarum providentia digna, quæ jus sequuntur, qualis est inter cetera suscepta familiaris cura, & educatio

li-

liberorum, quæ sanè omnia negligi deberent, si prætextu voti continentia pridem elicit, insuper haberentur. Et quando à similibus argumentantur, qui alias observationes edidisse modò notati sunt, & ego exemplo à simili petito observationem confirmo. Naturali jure quis prohibetur, ne ædificet ex virginis alienis. Si tamen inde ædificaverit, vetat jus publicum, ne petente quidem domino tignorum, everti ædificium, non alia sanè de causa, nisi quòd everso ædificio ruinis deformaretur urbs, in quo publicus urbis splendor, & decus minueretur; quasi cum duo detrimenta concurrunt, primum privatum, alterum publicum, potius cavendum sit, ne publicum damnum emergat, insuper habito damno privatorum. Idipsum ferè evenit in conjugio eorum, qui castitatem voverunt. Urget hinc bonum privatum continentia, quam voverunt; illic bonum publicum matrimonii, quod contraxerunt; istud propterea erit illi antefendum, can. 2. & 3. dist. 27. can. 2. 24. & 41. caus. 27. quæst. 1. Non ignoro, ex veteribus Ecclesiæ Patribus fuisse quosdam, qui conjugia post votum continentia contracta, adulterii, vel incestus nomine appellaverunt, imò & dixerunt, conjuges illos adulteris, & incestuos esse peiores, can. 9. dist. 27., & alibi, quemadmodum superius notatum fuit. Verum aut hi Sancti Doctores ea in specie persequi voluerunt gravitatem sceleris, ajendo, voti violatores fidem Deo datam fefelisse, quod adulterii instar est, quin tamen de vi nuptiarum verba facerent; aut si de vi nuptiarum fortè eos locutos fuisse putes, non fuit recepta illorum opinio ab aliis Patribus, inter quos est Augustinus, cujus monumenta sunt in dicto can. 2. dist. 27., & dicto can. 41. caus. 27. quæst. 1., quemque in hac re sequi, idem est, ac receptæ Ecclesiæ disciplinæ adherere. Vera est hæc regula in genere suo; non tamen adeo sancta, & inconcusa,

ut facultas, ac potestas contra certis in casibus statuendi denegetur iis, qui impedimenta conjugii lege publica obicere possunt. Ergo eadem regula tum demum recipienda non erit, quoties certis in casibus adpareat lex publica edita, quæ votum matrimonii irrita omnino reddiderit. In simplicibus votis, seu extra causam monasticæ professionis, & susceptionis sacrorum Ordinum, quia singulari lege irritante destituimur, regula generali adhaeremus. In votis solemnibus, seu in causa monasticæ professionis, aut susceptionis sacri Ordinis, habemus singularem legem irritantem, proptereaque à regula generali receditur. Et quidem hæc singulares leges irritantes jam superius indicavi; ceterum quædam juvat subjicere in presentia ad universam materiam illustrandam, quæ spectant ad irritata conjugia, qua monachorum, qua Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum; multa enim sunt adnotanda ad earum legum origines, & causas; unde & causa, & origines illius, qui hodiè etiam obtinet, disciplina, perspicuè dilucidèque pandantur.

Ut de monastica professione primum dicam, designanda sunt variae temporum notæ. Nimirum priscis Ecclesiæ sæculis omninò private ut plurimum erant monachorum institutiones, adeo ut ferè singuli singulas sibi regulas sequendas proponerent, pro libitu aut restringendas arctius, aut latius relaxandas; unde Hieronymus ad Rusticum monachum scribens eum monebat, ut certum sibi Præfectum constitueret, à cujus jussione penderet, can. 41. caus. 7. quæst. 1. Interea ad evitandam adeo amplam libertatem nonnulli cœperunt institutiones ab aliis monachis factas sequi, ab iis præsertim, quorum magna nominis fama erat, atque existimatio, inter quos erant S. Basilius, & nonnulli S. Basilii imitatores. Ceterum hæc regula adhuc privatarum præceptionum loco habebantur, necdum publica auc-

to-

toritate probata, ac confirmata, ut patet ex regulis editis ab Holstenio; quamobrem singuli Præpositi monachorum, ubi primum institui cæperunt, easdem pro lubito immutabant. Præterea cum monachi non expressè continentiam voverent, sed tacite, ex eo quòd in regula monachis præcipiebatur, ut perpetuam continentiam servarent, & monachi idem voto sese ad observationem regulæ adstringebant, eam ob rem si relaxari regulæ poterat in aliis capitibus, putabant nonnulli monachi, etiam relaxari posse perpetuam continentiam leges; neque enim sibi ipsi persuadebant, qui illud propositum à se abjicere meditabantur, adeo religiosæ vitæ coherere individua ratione continentiam perpetuam professionem, quemadmodum persuaderi debuisset recentiores Pontifices declaraverunt in cap. 6. in fine de statu monach. Difficile est definire, iis temporibus conjugia inita à monachis, irrita omnino fuisse, ex eo quòd necdum prodierat lex publica, qua eadem conjugia pœnitens rescinderentur. Tantùm lege publicâ ecclesiastica vetitum graviter monachis erat, ne conjugia contraherent; indicta adversus contrahentes pœna excommunicationis, quibus etiam non nisi post diurnam pœnitentiam reconciliatio concederetur, quod & Siricius Papa, & Chalcedonense Concilium statuit, can. 11., junctis Romanorum Correctorum notis, & can. 22. caus. 27. quæst. 1. Præterea generaliter statuerunt Leo & Anthemius Imperatores, ne monachi potestatem haberent monasteria deserendi, alias legum austeritati subjicerentur, l. 29. cod. de Episc. & Cler. speciali deinde pœna adjecta à subsequentibus Imperatoribus, ut res olim monasterio donatas amitterent, l. 39. & 53. §. 1. vers. *Quoniam autem* cod. eod. tit., Nov. 5. cap. 6., junctâ Nov. 76. & 123. cap. 37. 38. & 42. Hæ tamen leges, quibus, firmata monachorum consistentia in monasteriis, auferebatur monachis omnis occasio ma-

trimoniam contrahendi, non expressè irritaverant contracta ab ipsis matrimonia. In iis adjunctis, monachi, ut pœnas evaderent, curabant, se à monasteriis transferri ad Ecclesias, quibus ministrarent, non quidem in majoribus ordinibus, sed in gradu quodam inferiore, ex. gr. Cantorum, aut Lectorum; cum enim agnoscerent, Clericis in gradu inferiore constitutis non esse interdictum conjugio, putabant, ritè se tùm matrimonia posse contrahere, prætextentes, se speciali non esse continentiam voto alligatos, votum autem servandæ generaliter regulæ dissolutum fuisse per relationem eorumdem in numerum, & censum Clericorum. Id expressè vetuit Justinianus Imperator in Nov. 5. cap. 8. statuens, inobedientes & à clericali recens suscepto gradu dejecti, atque in pœnas monachorum conjugia contrahentium incidere, ac si in hac parte soluti non essent à monasticæ regulæ observatione: adeo verum semper fuit, monachos ad clerum translato adhuc regulæ suæ præceptis obstringi in iis, quæ clericæ conditioni non adversantur, potissimum autem in iis, quæ clericam eandem conditionem possunt magis magisque perficere, & reddere honoratiorem. Verùm cum quinto & sexto sæculo caveri inciperet, ut monachi uxorem ducentes ad pœnitentiam adducerentur non sibi, quam in arctiore monasterii recessu subeundam, qua fieret, ut in monasterio severiore lege vitam perpetuam traducerent, Nov. 123. cap. 43., can. 15. 16. 18. 19. 39. caus. 27. quæst. 1., si non iis legibus matrimonium expressè irritabatur (neque enim tunc temporis irritari ea conjugia opus erat, ob receptam Justinianicam disciplinam mox commemorandam), ita tamen res erat usu confirmata, ac si matrimonium non valeret, non quasi ab initio irritum, sed quasi per regressum ad monasteria dissolutum. Si enim vel ipsum ritè contractum conjugium à personis ob omni conti-

nec-

nentiam voto liberis, per subsequentem monasticam professionem dissolvi, tunc temporis credebatur ex legibus Justinianicis, l. 53. §. ult., l. 56. cod. de Episc. & Cler., Nov. 22. cap. 5., Nov. 117. cap. 12., Nov. 123. cap. 40. potiore jure dissolutum censebatur conjugium cum injuria religiosæ olim inita professionis contractum, statim ac conjux iterum ad monasterium vitamque monasticam reducebatur; unde parum, aut vix intererat, decretum irritans legi prohibenti adjicere, quando post regressum ad monasterium, ita matrimonium habebatur, ac si nullo modo consisteret. Eodem sexto sæculo in Occidente communis fieri cepit monachis universis S. Benedicti Regula, & unâ viguit apud omnes usque ad sæculum Ecclesiæ undecimum; tùm verò ubi quis ex monachis monasterio relicto conjugia inivisset, renovatæ fuerunt veteres leges in Concilio Triburien- si, can. 11. 12. 13. & 14. caus. 27. quæst. 1., cautumque, ut monachi regulæ desertores ad Monasterium etiam invitè reducerentur; quod satis videbatur ad eosdem monachos à voluntate ineundi conjugii avocandos; an verò dissolveretur conjugii vinculum, mihi non satis liquet, quia non satis perspectum habeo, quo primùm tempore recessum fuerit à disciplina Justinianicâ modò commemorata, juxta quam credebatur, per ingressum, aut regressum in religionem matrimonia ritè contracta posse dissolvi. Tandem initio sæculi duodecimi suprema manus adposita fuit huic disciplinæ, & sub Calixto II. in Concilio Lateranensi anni 1123. can. 21. statutum est, ut irrita omnino forent ea conjugia, can. 8. dist. 27., ubi præter pœnam in personas illas conjugium contrahentes illatam, dicitur, *contracta quæque conjugia disjungi*, quæ verba, utpotè in conjugium ipsum collata, vim decreti irritantis præferunt. Id ipsum paulò postea, seu anno 1139. confirmavit in Lateranensi Concilio Innocentius II. in

Tom. III.

can. 40. caus. 27. quæst. 1. ita definitens: *Hujusmodi copulationem matrimonium non esse censu;* atque id expressè ad Sanctimonialia fœminas extendit. Et quidem ego puto, non novam quidem disciplinam exitu inspecto his constitutionibus fuisse inductam, etenim, uti ajebam, ante hos Pontifices canonice monachi post initum conjugium ad monasteria revocati ita habebantur, ac si soluti essent à vinculo conjugii: tantùm opus fuit novis canonibus ad continendos monachos in officio, quia sæculo undecimo cæperat recedi à disciplina Justiniani, nec tutum erat dicere, per monasticam professionem matrimonia posse dissolvi. Et quidem nemo omnino non colligit, potissimum matrimonium dissolvendi causam in eo fuisse positam, quòd perpetuò monachus in monasterio consistere deberet, eò etiam reducendus, si quandoquè recessisset, non simpliciter ex emissio continentiam voto, præsertim quòd olim monachi non expressè continentiam Deo sponderent, sed tacite tantùm, nimirum generaliter pollicentes, se regulam servaturos, & in ejus observatione constantissimò persistituros. Primus S. Franciscus Assisias voluit, ut suo Ordini adscribendi expressè continentiam profiterentur, quo clariùs intelligerent illi, se omnem omnino contrahendi conjugii spem abjicere, ejus Franciscanæ regulæ exemplum & plures alii Monachorum Ordines secuti fuerunt. Hinc redita est generalis disciplina ad nostra usque tempora traducta, & hodie vigens, qua certum est, & Monachorum, & Sanctimonialium conjugia esse pœnitens irrita, dummodò ea intercedant, quæ superius dixi constituta fuisse à Bonifacio VIII. in cap. un. de voto in 6., abs Josæ XXII. in extrav. un. cod. tit., junctò can. 9. Concilii Tridentini in sess. 24. de Ref. matrim.

Difficilius est investigare Clericorum disciplinam ab Apostolicis temporibus ad nos usque traductam. Divino jure Clericis indictam fuisse continentiam legem,

X

ita

ita ut nec uxores ducere, nec ductis uti possint, adfirmari tutò non potest, quando Concilium Tridentinum cautè in can. 9. de Sacramento matrimonii legis tantummodò Ecclesiasticis fecit mentionem. Reverà quoties respicio ad Apostolica tempora, quibus non alii Clericorum Ordines, quam Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum adparent, & inquirò, an constante adhuc conjugio maritorum ordinatio admitteretur, ego rem video in incerto admodum collocatam. Non heic memoro fabellam, quam primus ex vulgari sequioris ævi traditione nimis credulus sine testimonio veterum Scriptorum narravit Beda, de Joanne Apostolo, quem ferunt contraxisse in Cana Galileæ nuptias illas, quibus interfuit Christus Dominus, ibidemque fuisse ab eodem Christo advocatum à conjugio ad Apostolatam, antequam uxori conjungeretur. Huc potius pertinet, quod dicitur Matthæi cap. 19. in fine, ex quo nonnulli deducunt, Apostolos saltem aliquos, atque inter istos Petrum, de cujus etiam Socru mentio fit in cap. 4. Luca, uxores suas dimississe. Verùm exinde adhuc incertum deduceretur argumentum; in primis enim neque ibidem aperte constat, ab Apostolis, aut à Petro uxores fuisse dimissas; deinde licèt istud aperte constaret; non liqueret tamen, dimissas fuisse causa suscipiendæ ordinationis Apostolicæ, cum dimitti potuissent causa suscipiendæ Christianæ Religionis, juxta doctrinam à Paulo Apostolo traditam in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Memorabile etiam est, quod dicitur apud eundem Paulum in epist. 1. ad Timoth. cap. 1., & ad Titum cap. 1., nimirum Episcopum, aut Diaconum esse debere unius uxoris virum. Sed iterum hinc nihil certi colligi potest, quod adhuc rectè Pauli testimonia interpretetur, qui dicat, eo tantum spectare, ut indicaretur, neminem, qui bigamus extitisset, sacris Ecclesiæ officiis addici debere. Præterea memorari posset, quod dicit Paulus in

cap. 9. epist. 1. ad Corinth., nimirum se habere potestatem mulierem sororem circumducendi. At nemo facilè ostendet, nomine mulieris sororis uxorem intelligi, maxime quòd Paulus Apostolus à matrimonii nexu solutus fuisse probetur ex epistola 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 7. Neque enim, quod nonnulli aliquando legerunt in cap. 4. vers. 3. epistola ad Philippenses, *germane compar* cujus nomine uxor significaretur, quam, lectionem recepit Erasmus Rotherodamus, placuit S. Hieronymo, qui in vulgata editione epistolæ legit *germane compar*, & in lib. 1. contra Justinianum scripsit, Adfirmari posse, neminem ex Apostolis, uno Petro excepto, vinculo conjugii obstrictum fuisse. Denique ubi exemplum proferri solet Philippi Diaconi, cui quatuor filæ virgines & prophetantes fuisse dicuntur in cap. 21. Actorum, ad hanc dirimendam controversiam parum valeret, cum facilè observari posset, illas susceptas ante Philippi ordinationem fuisse ex conjugio etiam prædefuncta.

Post has factorum veterum dubitationes, quæ sanè in obscuro admodum collocant definitionem disputationis, nàm divino jure continentia sit à sacris ministris præsertim majoribus observanda, nihilominus certa possunt præjaci principia. Nimirum licèt de divino ejusmodi præcepto non constet, constat tamen, convenientissimum semper fuisse institutioni divinæ sacrorum officiorum, ut electi ministri, præsertim majores, si fortè conjugio obstricti essent, conjugio non uterentur, & potiore jure à nuptiis, quas nondum contraxerant, abstinerent, quemadmodum intelligo Novellam Justiniani 6. cap. 5., ubi dicitur, clericalis continentia legem divinis regulis esse conformem. Si enim in vetere lege, in qua cæteroque sacrorum officiorum potestas successione perpetua Leviticæ Tribus de parentibus erat in liberos divino jure transferenda, Sacerdotes, quo tempore officio fungerentur

in

in ordine vicis suæ, ab usu contracti conjugii temperare debebant, eo potiore ratione perpetuum esse decebat in nova lege sacrorum administrorum continentiam, quorum non interrupta sunt vices, sed quotidianum est ministerium, quorum etiam officium non est successione filiorum transferendum, quo purior esse debet, & liberior in Deum resque divinas Christianorum ministrorum animus, & quo Sacramenta novæ legis per Sacerdotes administranda digniora sunt illis, quæ à Levitis veteribus dispensabantur, can. 4. 5. & 7. dist. 31., can. 2. & 3. dist. 82. Quòd si Paulus Apostolus cum de Laicis ageret, ad tempus illos vacare volebat conjugii usu, quando nimirum orationis tempus instaret, epist. 1. ad Corinth. cap. 7. perspicuè etiam indicavit, Clericis esse perpetuè conjugii usu interdicendum, quorum oratio, & tractatio rerum sacrarum erat sine ulla cessatione constantissima.

Quando igitur verum est, custodiam perpetuæ continentia divinis sacrorum ministeriorum institutionibus maxime consentaneam esse, licèt de divino præcepto expressè non constet, laudanda ab omnibus est vetustissima Latine Ecclesiæ disciplina, quæ non solum eos, qui sacris essent ordinibus initiati, semper à conjugii arcibus, verùm etiam laicos conjugio alligatos aut nunquam, aut perraro, & tunc data fide de non utendo conjugii, ad sacros ordines suscipiendos admisit. Id sine discrimine admissum quocumque tempore fuit in Episcopis, Presbyteris, & Diaconis; & quoniam non constat, quo primùm tempore canones conditi ad hanc rem fuerint, & usus Latinorum, imò & universarum Occidentalium Ecclesiarum talis adparent, ut ejus initium nulla extet memoria, facilè concluditur, eum ab ipsa Apostolica ætate, aut ad ipsa Apostolica tempora valde proxima invaluisse. Legitur quidem apud S. Cyprianum in epist. 49., Novatum quandam Episcopum Atrica-

num caecè percussisse uxorem suam, quæ exinde abortivum foetum emisit. At observo in primis, Cyprianum ibidem non memorare grave illud Novati crimen, quasi admissum post adeptum Episcopatum, & proinde ex eo probari non posse, Novatum jam Episcopum aut contraxisse conjugium, aut fuisse conjugio usum. Deinde observo, Novatum illum tanquam vitium deditum, & perditum hominem à Cypriano commemorari, & cum, qui inter cætera eò flagitiorum devenerat, ut parentem suum interfecisset; eamque ob rem conjugium illius Episcopi tale haberi non posse, ut dicatur legibus ecclesiasticis illius sacculi consentaneum. De Subdiaconorum Ordine, quia nec semper, nec ubique inter majores & sacros recensebatur, non idem olim observabatur apud omnes, can. 13. dist. 32. Primum Ecclesiæ Romana Subdiaconis legem continentia imposuit, can. 1. dist. 28., can. 1. dist. 31., can. 1. dist. 32., Ecclesiæ autem Romanæ disciplina nonnisi serius ad alias Ecclesias traducta est, nimirum sacculo sexto in Hispaniam, can. 5. dist. 37., sacculo septimo in Siciliam, can. 1. dist. 31., can. 2. dist. 32., & paulatim in alias Provincias, donec tandem factum est, ut id in Universum, & generaliter ac sine discrimine custodiretur, can. 2. dist. 28., can. 10. & 11. dist. 32., ex quo etiam profectum fuit, ut postulare Subdiaconi, se inter sacros administratos adcerneri, quoniam exinde Sacrorum ordo Subdiaconatus dici poterat. In minoribus ordinibus constitutus licuit semper nuptias contrahere, nisi tamen essent monachi à monasticis ad ecclesiastica officia translati, can. 14. dist. 32., Novella Justiniani 5. cap. 8. Et quidem olim minores Clerici in minori ministerio consistentes & uxores ducbant, & uxorum consuetudine utebantur, quousque viguit ea disciplina, juxta quam qui in minoribus ordinabantur, in iis perpetuè consistebant; imò & in Carthaginiensi Ecclesiæ scimus aliquando statu-

tum ad coercendos intra certos continentia leges minores Clericos, ut Lectores jubentur, cum ad annos pubertatis pervenissent (intellige plenam pubertatem, & quæ vigesimo anno complebatur juxta interpretationem Alexii Aristeni ab Harduino comprobata) aut uxores ducere, aut continentiam profiteri, ne, si fortè continentiam polliceri nollet, justè, legitimeque matrimonii fines excederent, can. 8. dist. 32. At postquam ii, qui in minoribus ordinantur, putant sibi in iis sterni viam ad majores gradus, & ordines, ad quos sine difficultate promoverentur, si postulerent, receptum est duodecimo Ecclesie sæculo, ut minores Clerici si conjugia contraxerint, ad peragenda sacra officia ne in susceptis quidem ordinibus admitterentur, quasi ecclesiastico muneri poenitèntis renunciassent, cap. 1. & sequentibus de Cleric. conjug. Exceptio est inducta à Tridentinis Patribus in sess. 23. de Reform. cap. 17., ubi decretum est, ut si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes præstare non sint, sufficere ab Episcopo possint etiam conjugati probatæ vitæ, dummodo non bigami, ad ea munera obeunda idonei, & qui consuetam, atque habitum clericalem in Ecclesia gestent, quibus etiam ad beneficia ecclesiastica, quæ ordini congruant, aut præstimoniam concedi valeant. Disciplina Ecclesie Græcæ consonavit perpetuò cum disciplina Latinorum, quoties de Episcopis ageretur; his enim neque licitum aliquando fuit uxores ducere, neque nuptiis ante ordinationem contractis uti, can. 13. dist. 31., Novel. 6. cap. 1., at paulò aliter sese habuit, & remissior fuit respectu Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum; his enim quamquam interdictum fuerit matrimoniis post ordinationem contrahendis, indultum tamen, ut conjugis ante ordinationem contractis uterentur. Atque huic Græcæ disciplinæ accommodati sunt vetustissimi canones in Græcorum Conciliis editi, can. 13.

& 14. dist. 31., can. 7. dist. 32., can. 14. & 15. dist. 28., quemadmodum & Novella Justiniani 6. cap. 4. & sequentibus, ac Novel. 22. cap. 42. Adnotandum quoque est in hæc rem canon Concilii Ancyranum, quo Episcopi permixtum fuit cum Diaconis dispensatione uti, eisdemque permittere, ut conjugia inde contraherent, si tempore ordinationis protestati fuerint, se velle contrahere matrimonia, can. 8. dist. 28. Dispicuit tamen hæc disciplina Justiniano Imperatori, qui statuit, Diaconum ita protestantem non esse ordinandum, Novel. 123. cap. 14. vers. si verò futurum. Hinc nemo mirabitur, Martinum Bracharensem, qui suam canonum collectionem adornavit paulò post editas Justinianæ Novellæ, & quidem instructus in disciplina Græcorum, dum editurus esset laudatum canonem Ancyranum, contrariam sententiam adscripsisse, uti legimus in can. 1. dist. 27., sive quòd amaverit ipse potius adherere Justinianæ legi, quæ tunc Græci regebantur, quam canonem Ancyranum, sive quòd cum in Occidentali Ecclesia scriberet, nosset, Ancyranam canonis sententiam minus esse opportunam, quæ in suis provinciis ederetur, ac palàm fieret. Solet in hæc rem vulgò proferri, quod ex historia Tripartita Gratianus descripsit, in can. 12. dist. 31., nimirum Nicænam Synodum tractatum habuisse de lege introducenda, qua Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis conjugibus ante ordinationem ductis uti liceret, & consilio Paphnutii ab eo edendo canone prudenter abstinuisse. Verùm hæc historica narratio, decepta fuit ex historia Socratis lib. 1. cap. 11., & Sozomeni lib. 1. cap. 23. apud Valesium; imò & Socrates Paphnutium appellavit *cujusdam urbis in superiore Thebaidæ Episcopum*, & Cassiodorus auctor historie Tripartitæ in lib. 1. eundem Paphnutium commemorare videtur, tanquam acerrimum Christianæ fidei confessorem, à Maximo Imperatore avulso dextro oculo,

in-

incisæque sinistra manu in metallum ad opera exercenda damnatum; exinde autem nonnulli deducunt, Paphnutium illum nunquam in Concilio Nicæno interfuisse, quod & probant ex eo, quia in subscriptionibus Episcoporum consignatis in editionibus Concilii Nicæni, Paphnutii Episcopi nomen desideretur. Primus Socrates fabellam illam mendaciam finxit, ut serviret causæ Novatianorum, quorum sectæ addictus fuerat, proptereaquod Novatiani passim traderent, nihil licere laicis, quod & Clericis non liceret, proptereaque nuptias in Clericis venerabiles esse existimarent. Fidem Socratis secutus est Sozomenus; ex Socrate autem & Sozomene occasione errandi habuit Cassiodorus. De minoribus Clericorum gradibus nihil dico, perspicuum enim est, apud Græcos non solum ipsos contracto conjugio usos, sed & ritè matrimonia contrahere potuisse, can. 13. dist. 31., can. 7. dist. 32., qui referendus est ad canonem 6. inter Trullanos, item can. 26. ex iis, qui Apostolis tribuuntur, l. 45. cod. de Episc. & Cler., Nov. 5. cap. 8., Nov. 6. cap. 5., Nov. 22. cap. 42.

Ex his perspicuum quidem fit, sacris administris interdictum ab antiquissima ætate fuisse conjugio, nondum tamen constat, conjugia à sacris administris non obstante lege contracta, irrita semper ipso jure fuisse. Equidem irrita sunt hodierna disciplina inspecta: sed utrum & id perpetuò receptum fuerit, apud eruditos ecclesiasticæ antiquitatis studiosos disputatum agnosco. Si prius quinquæ sæculorum canones legimus, quibus nuptiæ Clericorum improbantur, nihil reperimus, quod expressè ejusmodi nuptias irritaret; tantum statutum adparet, Clericos conjugia contrahentes esse ab officio deturbandos, aliquando etiam communione ecclesiastica privandos, & asperimam poenitentiam subjiciendos, can. 1. dist. 27., can. 9. dist. 28., can. 3. & 4. dist. 82., atque hæc poena diutissime perseveravit

adeo, ut Clerici majores conjugia contrahentes inter idiotas, sive laicos refererentur, Novel. 6. cap. 5., aut Curia unà cum bonis suis traderentur, juxta Novellam 123. cap. 14., quod tamen inde displicuit Leoni Philosopho Imperatori, qui indignum putans, personam semel Deo sacratas, sacras esse desinere, potius voluit, ut dejecti à majoribus officiis, in minoribus saltem ministeriis deservirent, Nov. 79., quæ tamen non ubique recepta fuit, quemadmodum nec ceteræ Leonis ejusdem Novellæ. Quando verò in ea re versamur, in qua quod contra leges fit, non statim pro infecto habendum est, & in qua dici non potest, irritari conjugium ex eo tantum, quòd conjugium contrahentes, poenis utut gravissimis subjiciantur, sed tùm demùm, si legi decretum irritans adjectum fuerit, mihi non videtur dubitandum, quin olim ea conjugia utut illicita, & legibus improbata, consisterent. Primum irritatæ fuisse videntur majorum Clericorum nuptiæ lege Imperatoris Justiniani, qui cum plurimas edidisset favore Ecclesie constitutiones, etiam in hac parte nihil omisit, in quo cleri decus à quibusdam sacrilegis neglectum, restitui quoquo modo posset. Ipse in l. 45. cod. de Episc. & Cler. animadvertens, satis non fuisse, poenis canonicis, quæ in sola gradus amissione consistebant, terrere Clericos libidini deditos, amplius progrediendum voluit, nimirum confirmata eadem canonum poena, decrevit præterea, ut conjugium irritum esset, quod indicavit, cum expressè dixit, liberos, qui ex eo nascerentur, legitimos ac proprios non fore, sed tanquam tales habendos, ac si ex incestis, & nefariis nuptiis progeneriti essent, ita ut neque naturales, aut nothi, seu spurii intelligerentur, sed prorsus & undique prohibiti, & nihil de paterna successione sperarent. Exinde liquet, non satis probari posse illorum opinionem, qui scripserunt, sæculo primo undecimo ea conjugia irritata om-

niud fuisse sub Urbano II., confirmata disciplina à subsequentibus Pontificibus Maximis Callixto II., & Innocentio II., can. 8. dist. 27., can. 2. dist. 28., can. 40. caus. 27. quæst. 1. Non nova inducta his canonibus videtur disciplina, sed vetus confirmata, aut restituta, quam ideo confirmare, aut restituere necesse fuit, quod gravissimi essent ferreis illis sæculis Clericorum abusus, quorum alii matrimonia passim contrahere non verébantur, alii in turpi concubinato versabantur, non in eos animadvertentibus Ecclesiarum Prælati, aut parum tunc de sacra disciplina solliciti, aut in eadem vitia proni, dicto can. 2. dist. 28., can. 15. dist. 81., can. 1. dist. 83., & alibi pluries.

Ut sacri canones pressius urgerent Clericos in majoribus ordinibus constitutos, onus ordinandis imposuerunt, ut continentiam se servaturos Deo promitterent, ac voverent, can. 1. 6. & 7. dist. 28., quasi tunc magis admoniti Clerici viderentur, ne spem nuptiarum contrahendarum quandoquæ conciperent. Hinc profecta questio est, an ex vi voti, an potius ex vi susceptæ ordinationis Clerici à nuptiis arceantur. Ex iis, quæ hucusque tradita sunt facillè dirimitur questio: profuit enim in primis, votum illud per se illicitas quidem reddere nuptias, non verò præiudicium irritare; deinde colligitur, nuptias ipsas non irritari ex vi ordinationis, sed potius ex vi legis ab Ecclesia receptæ ac confirmatæ. Quod si perspectum habuisset Gratianus, non adeo laboravisset in distinctione elucubranda votorum, quorum alia dixit simplicia, alia non simplicia, sive solemnia distinctione, inquam toti vetustati prorsus ignota. Veniam demus Collectori, qui reparare collapsam studiorum disciplinam obscuro sæculo invecis variis scholæ accommodatis distinctionibus voluit, neque aliter scivit veterum canonum sententias conciliare, quorum aliis post votum irritæ, aliis validæ nuptiæ

declarabantur, can. 2. & 9. dist. 27., quam priores intelligendo de solemnibus, posteriores de simplici voto. Quod si hac invecis distinctione tenebris obscurioribus rem offudit, quoniam solliciti interpretes statim investigare ceperunt, quænam vota solemnia, quænam simplicia dicerentur, Bonifacius VIII. disciplinæ veteris puritatem restituit, atque retenta nova illa distinctione, tanquam in scholis vulgata, & penè trita, votum solemnè dixit, sive quoddam in susceptione sacri Ordinis, sive quoddam in professione religionis fieret, cætera esse simplicia declaravit, cap. un. de voto in 6., quod idem erat, ac desinire, tum demum conjugia post votum irrita habenda esse, cum legibus irritarentur, noverat enim Jurisperitus Pontifex, non alias ventium nuptias decretis irritantibus à legibus fuisse improbatas, quam eas, quæ vel post susceptionem sacri Ordinis, vel post monasticam professionem contractæ fuissent. Exinde etiam colligitur, eum, qui ea mente ad sacram Ordinationem accesserit, ut vovere nullo modo vellet, imò & apertè profiteretur, se nolle continentiam lege teneri, nihilominus, ut nullum sit votum, lege continentia obstringi, & contractas postea nuptias in irritum cadere, quemadmodum & dicendum est de eo, qui votum fieri ordinationis tempore debere ignoraverit. E converso si quis ordinatur ita, ut ordinatione deinde irrita dignoscatur, puta, quia ordinator non erat Episcopus, licet continentia votum emiseric, eo non obstringitur adeo, ut nuptiæ postea secutæ irritæ habeantur. Id ipsum dicendum puto, si metu gravi quisquam ad ordinationem sacram accesserit; ad hanc enim speciem pertinere non videntur publicæ leges, quæ sacrorum administratorum nuptias improbaverunt, nisi tamen cessante metu Clericus ratum habeat libere, quoddam, quemadmodum contingeret, si officium suscepto ordinæ adnexum spontè exerceret.

CAPUT VI.

De iis, qui diversæ religioni in Deum, ac fidei nomen dederint.

CUM in nuptiis Romani veteres quandam contrahi tradiderint non humani tantum, sed divini etiam juris communicationem, l. 1. ff. de ritu nuptiar., nolim ego, ut quisquam statim colligeret, ad substantiam matrimonii pertinere, non posse conjugio jungi illos, inter quos divinarum rerum nulla communio est. Erant illa juris Romani præcepta disciplinæ familiari priscorum Quiritium accommodata, juxta quæ sicut uxor in familia viri omnino consistere dicebatur, ita & sacrorum familiarium particeps habebatur. Recentioribus sæculis redactio jure ad quandam naturalem simplicitatem, immutatisque maxima in parte veterum concubiorum forniculis, præsertim cum familiaria sacra ab usu exolverunt, & uxor non omnino, uti olim, ad viri familiam pertinere cepit, nihil prohibuit, quominus etiam sine communionem divini juris nuptiæ consistenter, quemadmodum observavit Photius rerum Romanarum peritissimus in Nomoanone tit. 12. cap. 13., quemadmodum etiam deduci potest ex Justiniano, qui in §. 1. instit. de patria potestate, veterum nuptiarum definitionem à Modestino in dicta l. 1. traditam descripturus, omisit nonnisi sanè de industria verba illa, *divini, & humani juris communicatio*, quemadmodum & eadem omisit Alexander III. in cap. 11. de presumption. Itaque si tantum inspiciamus conjugiorum naturam, quoties Æthioci, vel Judæi cum Christianis, id est baptizatis, quoties item Hæretici cum Catholicis matrimonio jungantur, nuptiæ valent. Cæterum non erit eadem generalis recipienda definitio sine ullo discrimine, si divinas, humanasque, præsertim eccle-

siasticas, leges spectemus. Non quæro hoc in loco, num propter conversionem Judæi, Infidelis, aut Hæretici matrimonium antea cum Judæo, Infideli, aut Hæretico contractum dissolvatur; hæc enim disputatio inferius commodiorem locum habebit. Potius quæro de conjugio contrahendo inter eos, qui disparem Dei cultum, ut vulgò dicunt, profitentur. Profectò apertissima sunt divini juris monumenta, sive veterem legem, sive novum testamentum inspicias, quibus constat, viris fidelibus interdictum esse conjugio cum infidelibus, quocumque nomine censeantur, incedendo. Hinc Judæis præstituit Deus, ne cum alienigenis matrimonium miscerentur, Deuteronom. cap. 7., Exodi cap. 34. In novo autem testamento habemus testimonium Pauli, in primis in epist. 1. ad Corinth. cap. 7., ubi nuptias ait à viduis contrahendas tantum in Domino, si tamen hæc verba interpretemur cum nonnullis ex veteribus Patribus, qui dixerunt, nuptias in Domino celebrari, quum fidelis fidelis jungatur, Tertulianus in lib. 2. ad uxorem; deinde in epist. 2. ad Corinth. cap. 6., ubi Apostolus ita fideles admonet: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus templum Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viri . . . propter quod exiit de medio eorum, & separavit, dicit Dominus &c.* Quod si causa infidelitatis, & blasphemie in Christum conversus conjux potest, ex doctrina ejusdem Pauli in dicto cap. 7. 1. ad Corinth., à conjuge infideli recedere, dissoluto conjugii vincu-